

Promulgatio Decreti super Virtutibus, in causa Beatificationis Servi Dei Iacobi Kern, O. Praem

VINDOBONEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iacobi Kern, sacerdotis professi canoniae Gerusenaе Ordinis Praemonstratensis (1897-1924).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit... ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus» (Is 53, 4-5).

Divini Magistri illectus exemplo, qui pro mundi redemptione sanguinem effudit, Servus Dei Iacobus Kern Christi passionem communicare exoptavit ut peccata hominum expiaret et vitae suae devotione operam navaret animarum saluti. Quod cupivit obtinuit; hinc cum Crucifixo coniunctus, multos cum amore et propter amorem dolores est passus et in carne sua adimplevit ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. Col 1, 24).

Hic Dei amicus Vindobonae ortus est die 11 mensis Aprilis ano 1897 a Francisco Kern et Anna Neidl, qui ex fide christiana congruenter vivebant. Post paucos dies puer, qui Beatae Mariae Virgini antequam nasceretur erat commissus, baptismum accepit, Franciscus vocatus. Exemplo atque praeceptis excitatus parentum, praesertim piaе matris, mature Dominum cognoscere didicit et amare, erga omnes bonus esse et humanus, ecclesiam frequentare et suas delicias in deprecatione invenire. Dum ludum frequentabat coepit se cum pietate et laetitia Pane Eucharistico alere. Die Pentecostes anno 1908 ei collatum est Confirmationis sacramentum. Eodem anno, cum iamdudum sacerdotium peteret, seminarium minus ingressus est in urbe Hollabrunn, ubi aequalium atque antistitum existimationem sibi conciliavit propter suam amabilitatem, perfectam oboedientiam, in studiis perseverantiam et impensam religionem. Eucharistia, pietas in Virginem Mariam et praecatio fuerunt animae

eius cibus cotidianus, quae constanter in viis Dei cum humilitate et gaudio progrediebatur. Quattuordecim annos natus votum fecit privatum castitatis et die 28 mensis Decembris anno 1912 est Terti Ordinis Franciscani sodalis factus. Eius ad sacerdotium iter est militia intermissum, quam anno 1915 iniit et anno 1918 desiit. Militis munia alacriter et animose sustinuit et, Deo auxiliante, in vocatione firmus mansit et in fidei professione. Non erubescens cotidie fere sanctissimam Eucharistiam accipiebat et coram omnibus in deprecationem incumbibat, initio comilitonum risum concitans, postea vero admirationem et imitationem. Calendis Ianuarii anno 1916, Sanctissimum Sacramentum adorans in ecclesia quadam Salisburgensi, a Iesu postulavit ut multum pati posset pro Dei gloria et hominum peccatis expiandis. Subsequentis mensis Septembris die 11, in pugna super montem Coston Tirolis meridiana, est graviter sauciatus glande, quae ei pulmones transfixit et iecur. Insigni virtutis militaris argenteo est decoratus, sed nemo potuit ei salutem reddere. Postquam semivivus aliquot egit menses, meliusculus esse coepit, quapropter potuit militiam ad finem adducere. Deinceps cum ardore sanctisque propositis sacerdotii viam resumpsit et in seminarium maius Vindobonense introivit, vitae brevis praesensionem secum ferens et utilem experientiam: «Animadverti — scripsit — quam pauca excelsa sint, ad quae mundus tendat, et didici quam sit pulchrum Sacrum Cor audire, quamvis extrinsecus spernamur». Solita cum diligentia spiritui et menti formandis prospexit ferventi pietate ac navo theologiae studio. Ad metam aequo animo procedebat, cum caritate est motus ad vitam devovendam in suavis odoris sacrificum. Postquam diu secum reputavit et deprecatus est atque a superioribus ecclesiasticis potestatem obtinuit, mense Octobri anno 1920 intravit in Ordinem Praemonstratensem in abbatia loci Geras, in dioecesi sita Sancti Hippolyti, eo consilio, ut se uti victimam satisfactionis emendationi et redditui ad Ecclesiam catholicam sacerdotis Praemonstratensis apostatae condonaret, qui in Cechoslovakia ecclesiam nationalem condiderat. Nomine capto Iacobo die 20 mensis Octobris 1921 professionem simplicem fecit; dein studia theologica Vindobonae est prosecutus et die 23 mensis Iulii anno 1922 est sacerdos ordinatus. Incommoda valetudo eum non impedivit quominus impigrum explicaret apostolatam tamquam coadiutor paroeciae conventualis loci Geras. Praedicationis ministerio se tradidit et confessionum, institutioni religionis in scholis, actioni pastoralis pro pueris et iuvenibus, assiduitati spiritali aegrotis praebendae. Ut Missam celebraret animisque serviret ad vicinos etiam pagos se conferebat pedibus, corporis debilitatem vincens

ardore regni Dei. Tempore Paschali anni 1923, cum in sede confessionali erat, est forti gravedine affectus; duo sanguinis vomitus secuti sunt et in pulmone, antea in bello sauciato, puris sedes formatae sunt. Oportuit illum in valetudinarium duci, ubi, sine anaesthesia est acerbae subiectus sectioni chirurgicae, ex qua quattuor ablatae sunt costae ut ad fontem perveniretur vitii purulenti. Aliquot menses degit in valetudinario Meranensi, beneficium consecutus. Ad suam abbatiam reversus, pastorem repetivit industriam, sed non diu restitit. Duos extremos vitae menses Vindobonae in valetudinario degit et, conscius se iam esse morti proximum, mira cum interiore pace se ad supremum occursum cum Deo praeparavit. Sicut praedixerat, animam Deo reddidit per sectionem chirurgicam die 20 mensis Octobris anno 1924. Eius exsequiis multi interfuerunt sacerdotes multique fideles et omnes pro certo habebant Servum Dei dignum fuisse Christi discipulum atque fidelem Evangelii testem.

Revera eius vita continuus fuit ascensus ad christianam perfectionem, adeptam sedula munium cotidianorum executione, crucis amore et virtutum exercitio. Fide ductus, spe et caritate, cum Deo a pueritia ambulavit, eius verbo est submisso obsecutus, prompte eius voluntati et legibus Ecclesiae oboedivit, omnia reliquit ut vocationem ad sacerdotium sequeretur, vota religiosa accurate servavit atque Ordinis sui regulam. Ut in familiaritate cum Domino cresceret, maxime dilecto, meditationem coluit veritatum aeternarum, deprecationem, pietatem erga Eucharistiam atque Virginem Mariam et praesertim est Christum crucifixum imitatus adeo, ut vitam devoveret pro Dei gloria, pro mundi peccatorum expiatione et Ecclesiae bono. Sacerdos factus, Missam magna religione celebrabat et sacramenta et fervoris plenus erat in bonis redemptionis populo distribuendis. Plus se proximum dilexit et omnes cum benignitate tractavit, humanitate atque affabilitate. Semper paratus erat ad consolandum, adiuvandum, consilia danda. Peccatores, aegri et ii, quotquot occurrit in vita, multimodis eius fraternam sollicitudinem experti sunt. Quam maxime et supernaturaliter prudens fuit in servitio Dei atque animarum inque sanctificationis suae opere. A bonis et inanibus terrae rebus alienus continuo praemium aeternum exoptavit, semper est auxilio divinae Providentiae confisus. Tum etiam, cum acerbior erat morbus, tranquillitate effulsit, patientia, fortitudine et simplicitate, qua misericordibus Domini manibus se committebat.

Eminentium eius virtutum memoria viva mansit apud propinquos, seminarii sodales, commilitones, religiosos abbatiae loci Geras et populum. Durante sanctitatis fama, Archiepiscopus Vindobonensis initium

Causae beatificationis et canonizationis fecit celebrato processu ordinario informativo (annis 1958-1985), cui adiunctus est processus additicius, apud eandam Curiam instructus anno 1988. Harum inquisitionum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 4 mensis Iunii anno 1993 promulgatum. Praeparata Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum more virtutes coluisset. Die 17 mensis Februarii anno 1995 prospero cum exitu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 6 insequentis mensis Iunii, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servum Dei Iacobum Kern virtutes servavisse theologiales, cardinales iisque adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater solemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexas, in gradu heroico, Servi Dei Iacobi Kern, Sacerdotis professi Canoniae Gerusenae Ordinis Praemonstratensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A.D. 1995.

† ALBERTUS BOVONE

archiep. tit. Caesarien. in Numidia, *Pro-Praefectus*

L. † S.

† Eduardus Nowak

archiep. tit. Lunen., *a Secretis*

(Acta Apostolicae Sedis, vol. LXXXVIII, 5 Februarii 1996, n. 2, p. 217-220).